Historiae Insitionis Variolarum
Humanarum et Vaccinarum
Comparatio. WAITZ
Fidericus Carolus Weitz.
Leipzig. 1803

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIVS

D. CHRISTIANVS FRIDERICVS LVDWIGIVS

PATHOL. P. P. O. ACAD. DECEMVIR ETC. ETC.

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. XX. MAII CIↃIↃCCCIII.

IN

AVDITORIO MAIORI

CONCELEBRANDAM

INDICIT.

Historiae insitionis variolarum humanarum et vaccinarum comparatio.

SPEC. I.




WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Inter recentiora detecta, quibus ars ſalutaris nuper copioſe locupletata et aucta eſt, — fuit vero ab antiquiſſimis temporibus tam felix, vt inuentis ſummis, diuinis atque incomparabilibus fortunata ſorte augeretur, — nullum maiorem atque promptiorem felicitatem generi humano attuliſſe videtur, quam inſitio variolarum vaccinarum. Simili et tam ſalutifero inuento inde a longinquo tempore medicina non aucta erat. Namque promittit haec noua medici inſerentis ars tria commoda, defendere ab humanarum variolarum contagio et grauiſſima peſte, mitigare valetudinis aduerſae valde exitioſum genus in ſuis ſymptomatibus et quod caput rei eſt, exſtirpare denique peſſimam aegritudinem ipſam. Atque haec tria commoda etiam certiſſimo vinculo inter ſe inuicem nectuntur. Quae enim ineunte ſeculo praeterito inſignia commoda variolarum humanarum in Europam introducta inoculatio generi humano attulit, nota ſunt omnibus, maiora tamen pollicetur et hucusque praeſtitit inſitio variolae vaccinae. Excultum autem eſt variis temporibus ex hominum inconſtantia et peruerſa iudicandi ratione inſitionis humanarum variolarum artificium ita,

vt alii in hominum exitium illud inuentum eſſe exiſtimarent, inter quos eminent inprimis *Wagſtaffe*, *Hecquetus*, *Raſtius*, *Pizzorno* et *Haenius*; alii e contrario ipſum ſummis laudibus extollerent, inter quos *Verlhofium*, *Hallerum*, *Kirkpatricium Tiſſotum*, *Voglerum* cum *Dimsdalio* praeter ſexcentos alios honoris cauſa nomino.

Quae cum ita ſint et cum hiſtoria artis ſalutaris in vniverſum ſuam habeat inſignem vtilitatem et dulcedinem, conſtitui apud animum meum in nonnullis commentationibus enarrare et delineare in breui et concinna tabula hiſtoriam inſitionis variolarum humanarum, eamque comparare cum hodiernae inſitionis variolarum vaccinarum fatis.

Iam vero nolo redire ad antiquitates morbi varioloſi humani naturalis, de quibus praeter plures alios praeprimis legendus eſt *Grunerus* (Morb. Antiquitt. p. 52.) nec multis verbis adumbrare diriſſimum atque atrociſſimum in hominum perniciem progenitum et cane atque angue peius fugiendum malum varioloſum cum ſuis ſequelis. Etenim variola humana non tantum multis in caſibus et frequentiſſime mortem attulit, cum ſcilicet immunitatis a variolis beneficio fruantur perpauci, verum quoque valde dolorificum, incommodis plenum, aegrotis et adſtantibus valde taedioſum morbum procreauit, qui inſigni et lethifero periculo, quod ſecum adducebat, ſuo ſqualore ex ſuppuratione et diuturna reconualeſcentia genus humanum fatigaret atque vitae humanae et formae pulcritudini haud raro infeſtus, morbos ſecundarios plures, vna cum deformi faciei turpitudine nempe multas oculorum, aurium, oſſium et viſcerum viciſſitudines e. ſ. p. produceret, ita vt cariem, phthiſin et alia inſanabilia mala progigneret et haud pauci ſenſuum

et

et membrorum beneficio et uſu ab hoc vehementiſſimo valetudinis aduerſae genere orbati eſſent. Sic variola humana vno ſeculo ab. a. 1650 ad a. 1750 Londini 152, 461. homines necauit et in Suecia porro variolae et morbilli per vndecim tantum annos 95, 101. homines interfecerunt. Praeter peſtem et febrem flauam enim vix alius morbus capitalior plures interemit homines, quam morbus varioloſus, qui etiam minoris peſtis nomine eapropter inſignitus eſt. Porro variolarum lethifera poteſtas nullam aetatem, nullum ſexum, nullam vitae conditionem, nullum clima praeterit, vt vix ac ne vix quidem vnus ſatis ſibi caueat. Paucae familiae non huius mali cauſa praeterito ſeculo lacrumarunt: quem metum et angorem minuit inſitionis praeſtantiſſimum inuentum, qua noua via peſſimo morbo occurrere conati ſunt praeclariſſimi medici.

Quod inuentum iure praeſtantiſſimum vocare oportet. Nemo enim, ſperamus, dubitabit de inſitionis cuiuslibet in vniuerſum dignitate. Nam praeter variolas alii adhuc morbi generi humano per ſimile artificium communicati ſunt; adeo animalibus brutis peſtiferi morbi et exanthemata per inſertionem tradita ſunt. Quod enim natura inconſiderate facit, hoc ars conſiderate et conſulto perficit. Naturale enim contagium non ſolum ad omnia organa inſpiratoria et reſorbentia vomitem deducit, verum quoque in maiori copia, in aere omnino corrupto et peſſimo, — reliqua commemorare nec licet nec lubet, — contagem illam, qua nulla eſt capitalior ad humores communes demittit; ars vero medici inſerentis et inſitionis miniſterium modo per pauca oſtia abſorbentia et parciori in copia electum contagium admittit, eligit porro anni tempus, aptam aeris temperiem, hominum aetatem et opti-

optimam valetudinem, nutrimentum idoneum et quae alia commoda hic locum habere poſſunt, ita, vt in electis hominibus, iuſto tempore atque apta praeparatione praegreſſa contagium ſaltim minus detrimentoſum exiſtat.

Iam vero accedo proxime ad meum argumentum et offero hic lectori breuem tabulam hiſtoriae inſitionis variolarum humanarum a primis laudati inuenti temporibus ad noſtra usque tempora vel ad id tempus, quo inſitio variolarum humanarum terminos ſuos attigit et variola vaccina humanae peſtem et metum fugauit.

Sine vllo partium ſtudio atque omni adhibita diligentia veriſſima modo enarrabo, vt huius rei inueſtigatione veritati ſuum reddatur decus et omnis falſi vis pereat. Praetereo autem tempora incerta et obſcuriorem mei argumenti hiſtoriam, de his in ſecunda ſcriptione dicturus. In ſubiuncta vero tabula inprimis indicabo, quo tempore, quibus in regionibus et ciuitatibus, a quibus medicis e. ſ. p. inoculatio inſtituta fuerit.

1713. inſitio variolarum ex Turcia aduena per omnem Europam poſtea diuulgata eſt.

— — *Emanuel Timoni* hanc artem a foemina Theſſala ex Philippopoli orta intellexit: in litteris ad Woodwardum.

1715. *Iacobus Pilarini (Noua et tuta variolas excitandi per transplantationem methodus. Venet.)*

1716. *Ant. le Duc.*

1717. Conſtantinopoli in filio ſex annorum legati Anglici, ſuadente matre immortalis famae matrona *Worthly Montague* inſitio peracta eſt.

17.. Viennae? (cf. *Leigh Hiſt. tuſſis.)*

1719

1719 — 1720. in Gallia per *Ellerum.*
1720. *Abraham Vater. (Methodus noua transplantandi variolarum infitionem. Viteb.)*
1721. Anhaltii *Eller.*
— — in Anglia in fex captiuis et capite damnatis infitio administrata eft.
— — filiae Illuftr. matronae *Montague* Londini per *Maitlandum* contagium variolofum traditum eft.
— — *Reimannus* medicus in Hungaria filium fuum inoculauit.
— — *Shadwell* medicus filio fuo inferendis variolis profpexit.
— — *Iacobus a Caftro.*
1722. Boftoni.
— — Berolini (*Acta Erud.* 1724. 538.)
1723. d. 22. Maii Londini Guilielmus Auguftus Dux Lancaftriae variolas infitione accepit.
1724. *Hecquetus* aduerfus var. infitionem.
1725. Hanouerae.
— — Pyrmonti.
1726. in Scotia *Maitland.*
— — Peckini Chinae.
1729. Londini mors filii Ducis Bridgewater, infantum porro Comitis de Sunderland, filii Nobilis Primi Ordinis Hillburough et vxoris legati Bataui Hoppe infitionis laudes adeo imminuit, vt eius fama Londini et per totam Angliam caderet.
1730. Monspelii.
— — Auinionii.
1732. in comitatu Pembrocenfi Angliae.
1734 Parifiis.
1738. in Carolina Americae.
1739. Brefciae.
1743. in Anglia et Londini diuini artificii auctoritas iterum inualuit.
— — in Hibernia.

1746.

1746. Londini Nosocomium variolis inserendis destinatum est. (cf. *Medical-Register* 1780. p. 53.)
1748. in Belgio *Tronchinus* filium suum a morbo varioloso arte liberauit.
1750. Genevae.
— — Sarisberiae.
1752. in Dania illustr. status ministri *Bernstorf* coniux exemplo suo praeluxit.
1753. Hagae Comitum.
— — in Scotia optimo cum successu.
1754. Aboae *Lechio*, Vpsaliae *Aurivillio* DD. MM. praeeuntibus.
— — Hanouerae de nouo. *Hugo; Werlhof.*
— — Lugduni Gallorum.
— — Lausannae *Tissot.*
1755. in Georgia Americae.
— — Sienae (*Gli Atti dell Acad. di Siena, Tom. I.*)
— — in reliqua Italia post magnam epidemiam variolosam a. 1754.
— — Basileae *Mieg.*
— — Institutum publicum in Dania.
— — Parisiis sparsim.
1756. in Norwagia.
— — in Liuonia inprimis sub auctoritate meritissimi *Eisen* V. D. M.
— — Parisiis *Tronchinus.*
1757. Bernae *Hallerus* immortalis memoriae vir in filio proprio.
— — Romae.
— — Nemausii.
— — Parisiis dirigente *Host.*
— — insurgit *de Haen* aduersus insitionem.
1758. in Bengalia.
— — Philadelphiae.

1758. Hamburgi *Iaenifch*, *Reimarus*, *Seip*, *Carpfer*.
— — Altonae *Unzer*.
— — Gottingae *Roederer*.
— — Bremae.
— — Berolini *Meckel*.
— — Magdeburgi *Keffler*.
— — Gothae *Sulzer*.
— — Lipfiae *Ludwig*.
— — Lugduni Gallorum.
— — circa idem tempus infitiones plures publicae peractae et inftituta publica huic arti dicata funt.
1760. Tiguri *Schinz* et *Rahn*.
1761. Stockholmiae *Dav. Schulz*, *Acrel*, *Bergius* et per omnem Sueciam.
— — in pago Floby Scarae vicino.
1762. in Italiae diuerfis prouinciis.
— — Florentiis in nofodochio St. Matthaei quotannis menfe Aprili et Augufto viginti infantes vtriusque fexus artificialibus variolis affecti funt.
— — Epifcopi Cellae *Scherbius*.
— — Lipfiae *C. C. Kraufe* de variolarum exftirpatione cogitat.
1763. Parifiis *Gatti*.
— — Parifiis nofocomium variolis naturalibus et artificialibus dicatum.
— — 3. m. Iun. Interdictum fupremae curiae Parifienfis.
— — Vitoduri *Sulzer*.
— — Dresdae *Demiani* et *Probft*.
— — *Raftius* Lugdunenfis exftirpationem variolarum per nofocomia et aegrotantium feparationem commendat.
1764. Lipfiae *Ludwig*.

1764. in pago Simmerbya Sueciae peculiare aedificium variolarum inſitioni deſtinatum exſtructum eſt.

— — *Richardus* inoculationem exſtirpationis variolarum miniſtram eſſe ſuadet.

1765. Roderodami *de Momchy*.

— — *Hensleri* litterae ad Supremam Regni Curiam Pariſienſem datae.

1766. Holmiae aedes publicae inſitioni inſeruientes adornatae ſunt.

— — in inſula Corſica.

1767. *Sutton* methodum inoculationis mutat.

— — Hamburgi.

1768. Viennae *Ingenhouſio* duce, qui ex Anglia aduocatus erat.

— — Hungariae Regina ſapientiſſima Maria Thereſia *Ingenhouſium* magno praemio et annua penſione ornat.

— — Petropoli Auguſtiſſimae Imperatrici Catharinae II. et Magno Duci a *Dimsdalio* artificiales variolae datae ſunt.

— — Auguſtiſſima Ruſſorum Imperatrix *Dimsdalium* ornat magno praemio et Baronatus Ruſſici honore.

— — In Suecia archiatris inſitionis praeſidibus praemia deſtinantur.

— — Senatus Venetus viginti et quatuor liberos mendicorum in triuiis inuentos cum optimo ſucceſſu inoculari curauit.

— — Lipſiae *Kadelbach* et *Heine*.

— — Fribergae *Naumann*.

— — Varſoviae *Rietſch*.

— — Pariſiis *Gatti* non obſtante interdicto in ſchola militari.

1769. 1770. Lipſiae *Ludwig*, *Rother*, *Börner*.

1770. Hafniae noſocomium inſitionis exercitio dicatum.

1770. Vlmae.
1771. Hetzendorfii ſub auſpiciis *L. B. de Störk.*
— — in Iamaica.
1772. Irkuzkiae in Sibiria ex munificentia Auguſtiſſimae Imperatricis Catharinae II. noſocomium ad inſitionis exercitium aedificatum eſt.
1774. Mindae in Weſtphalia.
— — Rigae in Liuonia.
1777. Generalis inſitionis Londinenſis Primordia. (*The Dispenſary for general inoculation.* cf. *Medical-Regiſter* 1780. p. 55.)
1778. Inoculatio generalis Cheſtriae adminiſtrata ab *Haygartho.*
1781. Generalis inoculatio regnante epidemia in pago Lutow comitatus Bedfordenſis.
1782. *Sarcone* denuo exſtirpationem variolarum commendat.
1784. Pariſiis *Götz.*
1785. Generalis inoculatio epidemia regnante Painsvici in Comitatu Gloceſtrienſi, dirigente *I. E. Ienner.*
1787. Propria domus in uſum inſitionis variolarum Viennae ab Imperatore exſtruitur.
1789. d. 22. Dec. Edictum Regis Boruſſiae, quo inſitio variolarum de nouo commendatur (*Scherfs Beyträge* III. 1. pag. 62.)
1791. Exitioſa epidemia Halenſis.
1792 et 1797. *I. C. G. Iunker* continua laude variolarum exſtirpationem proſequitur.
1798. *Fauſt* M. D. Bückeburgenſis ad Conuentum Raſtadienſem. (*An den Congreſs zu Raſtadt über die Ausrottung der Blattern. Leipzig, Fol.*)
— — Initia inſitionis variolarum vaccinarum.

Haec igitur habui, quae in breui hac tabula depingerem, ex qua in altero ſpecimine plures animaduerſiones deducam et mihi viam aperiam ad alteram hiſtoricae meae enarrationis partem, ad hiſtoriam nimirum inſitionis variolarum vaccinarum.

Haec praefandi opportunitatem ſubminiſtrauit:

VIR

CLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

FRIDERICVS CAROLVS WEITZ

NVMBVRGENSIS

AA. LL. M. ET MEDIC. BACCALAVREVS,

qui ex Ordinis Noſtri decreto nomine et iure Doctoris dignus iudicatus eſt.

Natus eſt a. praeteriti ſeculi LXXIV. *Patre Friderico Auguſto, artis ſalutaris Doctore clariſſimo, Praefecturae Numburgenſis et ciuitatis Friburgenſis, Müchelenſis et Lauchenſis medico publico; matre Ioanna Eleonora Auguſta Rockenthienia. Vtriusque parentum in ſe educando ſedulitatem ac fidem celebrat. Poſtquam religionis et litterarum initia ei tradita eſſent a magiſtris domeſticis, diſciplina ſcholae ſenatoriae Numburgenſis et Lipſiae poſtea inſtitutione priuatiſſima Praeclariſſimi Friderici Rothmaleri AA. LL. M. nunc Aduocati et Actuarii praefecturae Rosla-Stolbergenſis uſus eſt et ita tirocinio depoſito acceſſit a.* CIƆIƆCCLXXXXIII. *ad academiam Ienenſem Rectore Reichhardto, in qua muſarum ſede per quatuor*

quatuor integros annos philoſophiae et arti ſalutari maximo cum fructu operam dedit. In philoſophia omni Reinholdum in pſychologia empirica Schmidium, in hiſtoria naturali Batſchium, in matheſi pura Fiſcherum, in phyſica experimentali Vogtium doctores habuit. Oſteologiam Köhlerus, anatomiam omnem, phyſiologiam, medicinam forenſem, artem obſtetriciam et chirurgiam Loderus, materiam medicam, artem formulas concinnandi et artem obſtetriciam Starkius ſenior, chemiam Göttlingius, pharmaciam theoretico experimentalem Fuchſius, toxicologiam Succouius amicus ipſi ſuauiſſimus eum docuerunt. In medicina forenſi et politia medica Grunerum, in pathologia Nicolaum, in ſemiotica denique, pathologia, therapia generali et ſpeciali Hufelandum ſecutus eſt. Tandem in noſocomio ducali ſub auſpiciis Hufelandi et Loderi artem obſtetriciam, praxin tum medicam, tum chirurgicam exercuit. Atque omnibus his magiſtris ſuis gratiſſimum teſtatur animum. Anno huius ſeculi III. Lipſiae poſt tentamen per colloquia Baccalaureus factus eſt, tum poſtquam lectiones pro licentia de tympanite habuiſſet, poſt paucas ſeptimanas alterum examen ſubiit, in quo Ordini Noſtro idoneam doctrinam probauit. Nunc vt Doctoris iura et ornamenta more maiorum conſequatur, d. XX. Maii libellum, cuius ipſe auctor eſt, de Emphyſemate: Praeſide Excellentiſſimo Hebenſtreitio, collega coniunctiſſimo defendet.

Ego vero ipſi pro ea, quae mihi ad hunc actum clementiſſime conceſſa eſt, Procancellarii auctoritate, aditum ad ſummos in arte medica honores parabo. Breui enim habita oratione licentiam Noſtro tribuam, Doctoris titulum capiendi. Inter maximas vero ponam voluptates, ſi quidem RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES IL-

LVSTRIS-

LVSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, GENEROSISSMI ATQVE NOBILISSIMI VNIVERSITATIS NOSTRAE CIVES me frequente ſua praeſentia honorare haud dedignentur; quos omni qua par eſt obſeruantia cupio exoratos, vt publico hoc propenſionis ſuae documento, quam bene Ordini meo mihique cupiant, comprobare haud grauentur.

P. P. Dominica Rogate. A. R. S. cIↃIↃCCCIII.

LIPSIAE,

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.